

**Cum viderim in Lilybaetano quodam hypogeo hanc inscriptionem
“amore libenti” Demetrii viri uxori suae dicatam, statim a me petivi quid
Amorem generaliter significaret et quo modo per tempora et praecipue
aetate nostra scriptores et artifices eum finxerint et fingunt.**

Quaque gens quaque aetate mente finxit amorem secundum mores suos et habitum religiosum suum.

Secundum Orphicos et eorum Kosmogoniam Amori nulla origo est, sine tempore exstat, cum iam fuerit in ovo kosmico, e quo orta sunt caelum terraque.

Hesiodus, in libro qui inscribitur Theogonia, putat eum esse e diis pulcherrimus et splendidissimus, is qui membra disgiungit, excitat, delumbat, vitam generat.

Plato, in dialogo qui inscribitur Convivium, eum repreäsentat sub duobus aspectibus: vehementi, irrationali, fero, si agitur de coniunctione inter Mercurium Hermetem et Aphroditem Pandemiam, desiderii sexualis deam; tenero, rationali, domito, si agitur de coniunctione inter Mercurium Hermetem et Aphroditem Uraniam, amoris spiritualis deam.

Dicendum est apud nos redditum ad Mythologiam classicam peractum esse causa aliquo modo inclinationis ad studium Orientis (praesertim Indiae), quae invicem nos impulit ad interpretandam simili modo Antiquitatem: nam ea (i.e. inclinatio ad studium Orientis) exprimitur per metaphoram, signa magica, varias allegorias mentem nostram magnopere excitantes. (1)

Nam non oblivisci necesse est Orienti numquam fuisse vetita et interdicta secus ac apud nos, ita ut ominis fictio (sculptura et pictura) scenas eroticas habens nihil possit aestimari nisi Humanitatis patrimonium. (2)

In Occidente, econtra, omnis fictio similes imagines habens, putata est, abhinc Aetaem Medium, iniuria contra mores. Traditio nostra etenim nascitur fere ex immani laceratione inter mundum paganum et nuntium evangelicum peracta. “*Amor qui solem movet et alia astra*”, Dantes dicebat, secundum christianam inclinationem. In eadem traditione mas et femina semper putantur venientes e prioribus progenitoribus (Adam et Eva).

Ars attamen consideranda est speculum cogitationum et morum aetatis cuiusdam, cuius inclinatio scilicet est religiosa.

V.g., in vasibus Atticis, amor manifestatur sub specie phallica fertilitateque, numquam monstrat quod ad animi sphaeram attinet. In picturis musivis Romanis, quas invenimus in aliquibus Italiae partibus (apud oppidum quod Armerina nuncupatur vel apud Pompeios), ostentantur scenae lasciviae.

Ignorare certe non possumus eodem tempore aliquas repreäsentationes coniugum, inter quas recordamur Aegyptios coniuges regios et illos in sepulcro Etrusco figurantes et subrisum simulantes (apud urbem quae appellabatur Caere vetus); haud secus ac imago tristis et elegans viri illius, cui nomen est Procura, qui cum uxore in Pompeiorum pictura stat.

Res litterariae (poësis et narratio) non minus quam artes repraesentativaes refertae fuerunt imaginibus amoris et descriptionibus: inter varios auctores recordamur Sapphum, Alceum, Catullum, Parodium, apud quos amor semper exaltatus est sub duabus speciebus, animi motu sexuali et spirituali.

Ita inscriptio sepulcralis, "libenti animo", quae invenitur in Lilybaetano hypogeo sculpta et ab Julio Demetrio dicata, altissimum animi expressionem manifestat, quae saeculorum transitum superat et usque ad nos pervenit.

Cum hypogaeum intramus ad uxorem destinatum, minime Crispiam mortuam consideramus, sed e contrario ducimur ad eam vivam aestimandam.

Utpote quae fere facta sit Pleiadum stella vel aliquo infiniti universi loco consisteret. Amorem generis mystici et valdissime symbolici invenimus verum tamen in opella Apuleana, quae inscribitur Psyche et Eros, cuius vis et potentia allegorica efficit per saecula et etiam per aetatem christianam, ut usque ad nos, animo proh dolor artificioso constitutos, perveniret.

Quamobrem sequela rerum praedictarum nisi est mythus semper in actu consideranda est.

Renascentia aetate argumenta mythica cum christianis imaginibus bene congruerunt; praeter similia miscellanea non defuit, ut Titianus, qui sola tamen exemplaria mythica appellaret Parvula Carmina, quae fuerunt parvula picturae opera a principibus solum pro se petita.

Saeculo decimo octavo Britannus poëta, cui nomen est Shakespeare, se ad amorem fere angelicum extulit, amorem captu difficillimum pingens inter Julianum et Romeum, haud non secus ac basium datum a Klimt, maximam unionem elegantiae passionaeque.

Amor, natura sua, quamque definitionem a nobis datam fugit, quia definiri non potest, sed solum describi, nisi per singulas manifestationes, quae exprimuntur maxime per animi motus. Hi motus subiectatis (Kant) modi sunt, cuius facultas ad percepientium, ad capientium, ad intuitione sumendum apta est, antequam non solum apud se intellectionis actus fiat, sed etiam maturetur in subiectate alterius, alieni a se.

Secundum theologum, cui nomen est Antonius Rosmini, animi motuum sphaera non alia est ac anima, quae rerum vitalium et psycharum sedes est et praecipue manifestatur per subiectatis suae motus, capacitatem suam amandi, inclinationem se proiciendi ad sua, mentis integritatem percipiendam, quia homo aliud est nisi proprium entis quod est negatio et affirmatio, semper inclinis ad sui fines superandos, ut superior gradus cognitionis de persona sua attingatur.

Et cum personae quam amat adsit, tota moveri incipit animi motuum sphaera, altero et alieno polo magnetico fortiter attracta.

Numquam tamen haec experientia est participativa, quippe cum quisque pro se et in se sentiat quod percepiat in subiectate sua. Potest nihilominus quisque intuitione comprehendere quod evenit in aliena subiectate niti, sed nihil aliud ac nisus, quia

statim conscius fit incomprehensibles esse easdem expressiones subyectivas, quibus ad alium ac se obiectum conscientiae suae trasmettere nitatur. Ita demonstratu facillimum est quod evenire potest in coniugum vita: ubi tota communio, seu carnalis seu spiritualis, numquam integra potest dici. Contingit enim, ut modus cogitandi idem plerumque sit, sed aliter ac eo omnino modus sentiendi, qui est proprius status sui et actus exstat singulus personae sua unicusque.

Ab origine dicendum est non rationem, qua nihilominus utitur ex post ad aedificandum, sed potius sphaeram ad animi motus pertinentem esse verum actus cogitandi agendique impulsu. Non igitur per rationem, sed animi mobilitatem “gaudium essendi” sentit homo.

Hoc gaudium consistit in amando et in cogitando et exprimitur per stuporem, admirationem, approbationem, benignitatem, participationem, timorem, perturbationem.

Ex eo consequitur, ut aliqua de amore philosophia exstet, quae appellatur “allologia”, i.e. de alterius ratione conficienda et comprehendenda. Innumeris modis amor plerumque interpretatur vel intellectu et perceptu difficillimum est: nam evenit, ut de amore imprimis omnia percipiamus, cum ex post nos dolenter fallamur, animadvertisentes proh dolor nobis superesse quid incertum numquam ad capturum et comprehensurum aptum.

Et quamquam incertum et incognitum nos excedat indagationi studendo autem maxima cum cura, tamen numquam conamina nobis dimittenda sunt, quia conatus noster semper quaestosum se ostendit, numquam solutum. Nam quoad Amorem nulla per tempora datur solutio, e contrario quid vero Amorem significet, nisi quaestum per experientiam comperitur, ad quem libenter inclinat humana natura, quoniam in eo (i.e. Amore) consistit vera inter subyectos relatio, non in scientia vel in cognitione abstracta et a rebus aliena.

Et eo magis, quo hodie ingentius nobis opus est non solum novam cognitionem repperire inter subjectos per viam generalem, sed plus inter ambos sexus, inter quos nova harmonia surgere debet.

Ceteroquin quid est homo, nisi ἡ οὐρανή θεομορφή, Amore generatus, Amore pulsus? Amor etenim vitae nostrae cacumen est.

Mirum in modum capiendi stupore maximo essemus, si cogitaremus penitus de Amoris dono gratuito, prae scilicet condicionibus aetatis nostrae in inferius nimis tendentibus, tenaciter vanam gloriam lucrumque quaerentibus.

Qua in re (i.e. in dono gratuito) sigillum paene divinum non adnotare nequimus. Quid enim nisi liberi liberum parentium visibleque donum, prae condicionibus saepe negativis et contortis?

Et quid nec sint parentes liberis ad dandum parati, cum sibi videatur bona vel quaque alia occasione uti? Iam multiplices etenim sunt donorum rationes, ut vitam totam amplectantur.

Per hoc revelatur coniugum character, per quod manifestatur actus eorum generosus, antea erga liberos, postea in “diffusivum” (vide ad hoc Augustinum) erga alios, qui dicuntur familiares et amici, postremo erga societatem totam.

Ex eo consequitur, ut amor “diffusivus” non alienus sit a nexibus socialibus, quod in extremo demonstrat veritatem cogitationis Aristotelicae quoad φιλίαν (secundum quam homo non est animal, sed ens vivens sociale, sicut interpretat Severinus, philosophus Italicus nostrae aetatis).

Hoc dicitur bonum esse universale (vide Sanctum Thomam), contra apparentiam, cui opponitur structura moralis Christiana, societatis plerumque malam, valdissime hodiernam.

Ita in rem se vertit quod Sanctus Paulus cogitat de generositate qua gaudium recipitur magis dando quam accipendo.

Ut redeam ad argumentum de Amore qui sit perceptio-expressio motuum animi, necesse mihi est citare Ludovicum Binswanger qui Amorem aestimat locum ubi vero se agit Praesentia sua, quae est subsistentia, quia in ea invenire possumus alterum, qui plerumque a nobis alienum est, ut ita eum appellemus te.

Poëta Rilke scribebat: “*Ubi tu es ibi locus se determinat*”, et Binswanger explanat hoc dictum, dicens hoc amoris spatium considerandum esse ut fere dilatationem, elevationem et excavationem huius Praesentiae.

Sane praesentia etiam “temporis explicatio” est, i.e. momentum vero Aeternum quod permettit, ut temporis fragmento experiatur atemporalitatem, i.e. ut experiamur nos tempus transcendere.

Philosopho Martino Heidegger, qui censem mortis perceptionem efficere, ut ille sciens qui e molitudine oritur mundanitatem et dissipationem transgrediatur, non quod ad mortem destinatam se prehendat, sed potius quod ad Amorem versum se comprehendat, in aperto est opinionem opponere contrariam.

Quoad Amorem enim homo non invenit in se quamlibet entis structuram sed vero realitatem ipsam, quae reapse fundat personam suam, et quam, cum Agustino et Blasio Pascal, Binswanger cor appellat.

Cum utrique amanti Amor se praebeat, se Praesentiam facit, et eo momento manifestatur veluti cordis “patria”.

Alterius manifestatio, ut Praesentiae factoris et complementi, potest iam fieri, potest se in rem vertere, quia Amor est substantialiter entis participatio, immo ens est velut substantia. “Hoc est- dicit auctor citatus- phaenomenis mysterium anthropologici tam centrale et tam parum investigatum, mutuae videlicet participationis, ubi singulus et realis (Tu) se confundit cum altero universali (Te), ut divina persona”. (3)

(1) Secundum Petrum Pellegrino, iurisperitum Drepanensem necnon Professorem universitarium magistratunque, est aliquis nexus picturam, quamvis in picturae parietalis consideratione moretur, et phaenomenum organicum-biologicum: “Id (i.e. imagines

visae) concitare potuisset prae aspectu biochimico, causa hipotalamici impulsus, generationis fectus oxytocinae et, causa huius ormonis, incrementum fit motuum physiologicorum fiduciam et similia generantium, et, cum iis, ut breviter dicatur, transitum de egoitatem ad alteritatem, de egoismo ad altruismum, de statu naturae ad statum paleocivile". (In Miti, Favole, Fiabe. Modelli alternativi di comunicazione giuridica tra prosa e poesia: pagina LXII, infra IV). (Latine: De Mytys, Fabulis, Narrationibus fictis. Modis alteris communicationis giuridica inter prosam et poesin, Romae, 2013).

- (2) Non est peregrinum hic referre, quoad levitatem de rebus tractandis, prototypa exemplaria, quae, quamvis separata tempore condicionibus socialibusque, sunt similia forma mentis: unum est Catullum (carmen quod incipitur Pedicabo ego ...), alterum Aretini carmina.
- (3) "Locutor potest se vertere ad alterum locutorem secundum modum performativum, si hac sola condicione, cum iam pridie communis cognitionis fundamenta inter eos statuta sint – potest se proicere ad se intellegendum in capacitatem cognitivam alterius, eodem modo quo hic facit erga illum" (Jürgen Habermas) in "De cogitatione post-methaphysica"

Johannes Teresi